

DE REB. METALL.

ce Acrisij. Valuæ ferreæ Romæ in æde D. Pauli. In turre ferrata interfectum Probum imperatorem scribit Eutropius. Ferreū appellatur, quicquid solidum indomitumq; est, ut ferreum feculum, quod nunc viuimus: ferrea præcordia, ferrei homines, ferrea fors vitæ; ferreus somnus, pro ipsa morte apud poëtas. Ferro pluisse in Lucania ante bellum Parthicum, quo Crassus interfectus, tradunt veteres.

Ferream massam recremento similem, ex aëre decidisse in syluis Neuhorianis prope Grimam, sunt qui affirmant, eamq; massam multorum pondofuisse, narrant, adeò ut in locum illum nec deportari propter grauitatē, nec curru adduci, propter loca inuia potuerit. Factum est autem ante bellum ciuile Saxonicum, quod inter duces agnatos gestum est. A ferro nomen accepit Siderites gemma, ut est apud Suidam: sed eum lapidem eundem esse cum adamante, liquet à Plutar-

tar-